Schall Tamás
Veszprém
195
1745

PANEGYRICUS
DIVÆ
CATHARINÆ
VIRGINI ET MARTYRI
DICTUS
CORAM ANTIQUISSIMÆ, ac CELEBERRIMÆ
UIVERSITATIS VIENNENSIS,
SENATU, POPULOQUE ACADEMICO,
Cum
In Metropolitana Divi Stephani Basilica
INCLYTA
FACULTAS PHILOSOPHICA,
EJUSDEM
DIVÆ TUTELARIS SUÆ
Annuam Memoriam solenni ritu instauraret.

DEFERENTE
ADMODUM REVERENDO, PERILLUSTRI, ac CLARISSIMO
DOMINO
IGNATIO DE REUTTER,
AA. LL. & Philosophiæ Doctore, nec non p. t. Inclytæ
Facultatis Philosophicæ
DECANO SPECTABILI.

ORATORE
ILLUSTRISSIMO ADOLESCENTE
ANTONIO L. B. DE TINTY,
Austriaco Viennensi, Humaniorum Litterarum studioso.

Anno reparatæ salutis M. DCC. XLV. Mense Novembri Die 25.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Francisci Andreæ Kirchberger, Universitatis Typographi.

SERENISSIMÆ
PRINCIPI
MARIÆ
ANNÆ
NATÆ
ARCHIDUCI
AUSTRIÆ
REGNORUM
HUNGARIÆ & BOHEMIÆ
PRINCIPI
&c. &c.

SERENISSIMA

ARCHIDUX.

Quas ob cauſas paginas haſce Sereniſſimo Nomini Tuo *inſcribam, prodit argumenti, quod tractandum ſuſcepi, cum laudibus* Tuis *conjunctio.* Te *enim,*

virtutesque Tuas *paucis his foliis leges.*
CATHARINAM dictione exhibeo,
Virginem Regalis sanguinis dignitate,
splendore, amplitudine sublimem, In-
genii perspicacia, prudentiæ maturitate,
sapientiæ gravitate admirabilem, virtu-
tibus denique omnibus, Puritatis præ-
cipue, fortitudinis, & constantiæ laude
tam eximiam, ut una in CATHARINA
miraculum haberet Africa, quod vene-
raretur, lycæa Magistram, cui parerent,
Reginam Virgines, quam sequerentur,

Orbis

Orbis universus illustre, quod susspiceret, magnitudinis exemplum. Quid accomodatum magis aut generi, aut Pietati, aut cæteris, quibus effulges, ornamentis Tuis Sereniſſima Archidux *a me potest afferri? Nihil hic dicam de sanguinis* Tui *claritate, quam ad nobilissimam eam gentem refers, quæ tot orbi Cæsares, tot Religioni vindices, tot Patriæ Patres est elargita, quæ in Augustissimis Principibus* FRANCISCO & MARIA THERESIA *Genitoribus*

)( )(Tuis

Tuis *non Provinciis modo*, & *Regnis quibusdam, ſed univerſo jam, qua patet, Romanorum Imperio latiſſime dominatur. Taceo dotes illas ſingulares, una cum ſanguine in* Te *traductas, & ſapientiſſima inſtitutione confirmatas; indolem nempe ad virtutem pronam, affabilitatem, benignitatem, atque humanitatem, quæ Auguſtiſſimo Auſtriacorum Generi congenita te hæreditario veluti jure reddunt amabiliſſimam; At, quæ a teneris tantam*

ſe

ſe exhibet, quæ communis prope cum CATHARINA *ſplendoris* Tibi *affert prærogativam, ingenii* Tui *commendationem præterire non poſſum. Elucet jam in ipſo juventutis flore ſingularis illius præſtantia, mentis perſpicacitas, memoriæ firmitas, ſapientiæ ſtudium incredibile, præludia ſcilicet eorum decorum, quibus* Te *meritiſſime ornatam contemplabimur aliquando Europæ univerſæ Imperiis digniſſimam. Tanta igitur cum ſis, cujus imago ad-*

umbrari melius quam CATHARINÆ *laudibus non poteſt, tenue hoc obſervantiæ meæ pignus benigno, quo ſoles, annutu ſuſcipe, & tuere*

ARCHIDUCALIS
SERENITATIS TUÆ

Clientum infimus

ANTONIUM L. B. DE TINTY.

ORATIO.

NOn ſemper cum ſapientia victoria conjuncta eſt, ſæpe etiam fortuna iniquior cum ſapientia commiſcetur. *Perilluſtris, Magnifice, ac Excellentiſſime Domine Univerſitatis* RECTOR. *Admodum Reverende, Perilluſtris & Clariſſime Domine,* INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ DECANE *Spectabilis. Senatus populeque Academice.* Vidimus graviſſimis ſæpe viris, dum eruditam in arenam pugiles deſcenderent, illud perinique eveniſſe, quod Imperatori non raro rei militaris ſcientia egregie exculto infeliciter accidit. Ille ut primum aut provinciam periculis

culis cinctam, aut captam urbem, aut direptum portum intelligit, consilio, labore, fortitudine, industria armatus, milite, præsidiisque munitus in hostem egreditur, certamen experitur; inclinante tamen in præceps fortuna ea celeritate inferior discedere cogitur, qua non multo ante in summam totius spei decertaverat. Scilicet non solum bellandi scientia in summo ac perfecto Imperatore quærenda est, sed multa sunt alia, quæ ad habendam victoriam adjumento esse solent. Militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, hostium trepidatio, inopia, fortuna denique rerum sæpe arbitra magnam Victoriæ partem sibi vendicant, & ubi res prospere geritur, momenti plurimum Victori afferre solent.

HIc vero triumphus, quam victrix ad Alexandriæ mænia Virgo de impietate hodie retulit, admirabilem sapientiæ cum felicitate ostendit societatem. Quando enim avitæ Religionis gloria tanta, tamque sublimi rerum altissimarum cognitione, tanta mente & consilio fæminæ unius virtute est confirmata? quando æmulorum doctrinæ com-

commendatione, & ſcientiarum uſu prope quotidiano clariſſimorum arrogantia puellæ unius ingenio ita deluſa eſt?

HAbetis AA. utrumque dictionis meæ argumentum, quo paucis conficiam: nunquam ſapientiæ triumphum fuiſſe illuſtriorem, quam ille fuit, quem CATHARINA hodie in Alexandriæ luce eſt conſecuta; nec poſſe cogitari digniorem, quæ tam ſingularia victoriæ inſignia ſapientia Duce reportaret, quam erat CATHARINA. quæ duo, dum ad exſpectationem jucunda, ad ſolennitatis hujus ſplendorem illuſtria, ad ſapientiſſimæ denique Virginis gloriam promovendam accomodata fore exiſtimo, tuum erit INCLYTA FACULTAS PHILOSOPHICA dicentem benevole diligenterque ſuſtinere.

NOn equidem hac tantum in cauſa ſapientia CATHARINÆ vinci non potuit. Longum eſſet commemorare, quantas illa res fere quotidie, quantaque ingenii commendatione pro Catholicæ fidei dignitate perfecerit, illuſtrius tamen contendere nunquam viſa eſt, quam dum quinquage-

nos antiquioris Philosophiæ Magistros veritatis hodie Magistra debellavit. Quid ita porro? quia pugna erat aleæ plena ac discriminis, quia summa fortitudine atque utilitate confecta.

UT periculi magnitudinem intelligatis AA. hostem primum, de quo palmam victrix CATHARINA retulit, conspicite. Erat ille ex universa Ægypto ad publicum Alexandriæ theatrum evocatus, non imbellis, tardus, inermis, sed annis provectus, longo scientiarum studio innutritus, decertandi consuetudine audax, dicendi usu exercitatus, victoriis tumidus, & quod singulare est, non sociorum modo, sed totius prope civitatis præsidiis armatus. Erat sapientum multitudo, flagrans ultionis cupiditate, invidia percita & æmulatione; atque cum his fraudibus, cum hac temeritate erat CATHARINÆ dimicandum.

HOstis erat sanguinaria Maximini cupiditas. Quid enim insolita Cæsaris portendebat præsentia? quid armata rotarum asperitas? quid districtus ille in lictoris manu gla-

gladius? cujus caput ille enſis petebat? qui ſenſus erat inſanæ multitudinis? quæ mens? oculi? quis ardor animi? quid ſitiebant? quid optabant? id unum immanis anhelabat crudelitas, ut illam, quam rationum magnitudine ſuperiorem cæteris fore alioqui non existimabat, ubi primum ſuperſtitionis ſuæ leges deſpicientem intelligeret, omni ſupplicíorum crudelitate conficeret.

QUod ſi obire ſingillatim omnia velim diſcrimina, quorum metus avertere a propoſita ſententia mentem Virginis debuerat, mihi dicendi modus non erit. Ut enim, quæ attuli, ſingularia non ſint, honos certe, nobilitas, ſplendor ſanguinis, pulchritudo, negligenda propediem atque proterenda non levia a vobis AA. ſunt exiſtimanda. Namque cum in omnibus rebus majoribus commoveri animus ſolet vehementius, tum in illis præcipue multa perturbant, in quibus non ſalus modo vitaque, ſed plurima ſalutis vitæque decora in communi periculo verſantur. Grave eſt vitam abjicere homini, cui præter vitam parum eſt conceſſum, qui non modo fortunæ bene-

ficio,

ficio, ſed ſpe orbatus eſt propemodum omni, at quanto magis arduum & difficile, illam in diſcrimen objicere, quæ cum jucunditate, & rerum humanarum felicitate poteſt eſſe conjuncta. Oblata Maximini connubia, nobilitatis, formæ illecebræ, avita ſanguinis jura, cæteraque benignioris naturæ ornamenta quantum quæſo Virginis animum oppugnabant?

VIdetis AA. periculorum magnitudinem atque impendentes CATHARINÆ procellas. Veſtrum jam erit, fraudes hoſtium, promiſſa, odia, apparatus denique maximos animis veſtris accuratius proponere. Nunc quantum hæc invictam fecerint CATHARINAM, intelligite.

QUantæ primum magnitudinis in fæmina hoc fuit, tanta malorum imminentium multitudine non terreri? non cunctari, deprecari pugnam, aut quoquo tandem modo a ſe periculum depellere, ſed præſtolari hoſtem, præſtolari dico; ſed laceſſere, irritare, irritare autem; imo quam plurima ſolidæ veritatis argumenta in adverſos torque-

re,

re, confícta ab antiquitate Numina, quæ ad divinitatis faſtigium ſtulta ſuperſtitio extulerat, infra mortalium conditionem deprimere, ridere denique vetuſtiſſima majorum inſtituta, necque alio nomine Patrios Alexandriæ Deos quam fædas dementiæ atque impietatis notas compellare, necque compellare modo, ſed firmiſſimo rationum pondere comprobare?

QUantæ deinde virtutis? in propoſitæ veritatis confirmationem devovere caput ſuum & vitam, quæ homini ſolet eſſe chariſſima, non commoveri funeſtiſſimo carnificinæ apparatu, non enſe, aculeis, rotis, incendiis, quin avitam Religionem ſolam & veram eſſe fidem, fuſo tandem per barbarum enſem ſanguine ſubſcribere.

NOn mirabitur jam aliquis, illud DEI Optimi Maximi beneficio victrici ſapientiæ obtigiſſe, ut dum ante Chriſtiana res gentilium invidia, Tyrannorum crudelitate preſſa, & prope everſa videretur, eandem repente erectam, non emergentem modo fluctibus, ſed florentem, & novo fructu

recreatam intueri ſit conceſſum, quando ea fuit CATHARINÆ in differendo animi contentio, in docendo ardor, gravitas, & conſtantia, ut ij, quos legum peritiſſimos tota fere Ægyptus ſuſpexerat, peſte, quam animis fovebant, ejecta, trepidi & confuſi ad triumphantis ſeſe pedes abjicerent, & damnata ſuperſtitionis impietate in unius ſempiternique Numinis fidem Sacramenti Religione firmatam concederent. Natalem Ægypti diem illam jure compellavero, qua vindicata libertate gaudebat Eccleſia, & inſtauratis primorum pugilum triumphis unius Virginis incredibili ſtudio Alexandria prope omnis ad Romanæ fidei tuendam authoritatem eſt excitata.

TAm igitur invicta in CATHARINA fuit ſapientia, quæ cælo Auſpice in maximis difficultatibus res tam eximias tanta virtute, ac utilitate confecit, jam cur ita vincere dignior non fuerit, altera orationis parte dicendum eſt.

MAgnum eſt AA. ſuperatam non fuiſſe in his dimicationibus CATHARINAM, ma-

majus eandem, ut ſuperari non poſſet, meruiſſe. Namque ille ſolum teſte Oratorum clariſſimo felicitate ſua dignus eſt exiſtimandus, qui, ut felix eſſet, virtute antea perfecit. Neque vero Virgini pro illius dignitate inanis erat fortuna. Illa tot inſignes laureas incredibili, quo fervebat Pietatis ſtudio, & cauſæ quam tuebatur, æquitate præcipue commeruit. Taceo virtutes illas, quæ magnarum rerum eſſe ſolent adjutrices, parem tantæ integritati ſapientiæ excellentiam, eloquentiam, gravitatem, quarum comitatu majora confecit, quam aut a viris plurimis in juventute, ut ab uno viro in ſeram uſque ſenectutem poſſint exſpectari.

SAtis jam ut opinor AA. Virginei animi robur firmitatemque ex iis, quæ in prima orationis parte vobis attuli, conjicere poteratis. Vidiſtis animum ſe ipſo majorem, ubi cum potentiſſimis hoſtibus, cum arrogantia, crudelitate, cum amore ipſo & dolore CATHARINÆ erat decertandum. Vidiſtis conſtantiam fere inauditam, dum moriendum Tyranni furoribus erat fere quotidie, rurſum vivendum, ubi vita in ſingula

momenta crudelibus ſuppliciis fuit expoſita mors vero ſemper oculis obverſabatur. Sed longe altius aſſurgere viſa eſt CATHARINA, dum ſe ad Divinitatis ipſius exemplar quotidie ſtuduit effingere, quin imo, dum admirabili vitæ puritate illud effecit, ut Divino ſponſo oblato e cælis annulo felici nexu conjuncta, humanæ a ſe naturæ infirmitatem procul amoviſſe videretur; quo inter cætera promeruit, ut cum æternas ſedes puriſſima ſubiret anima, morientis cadaver non niſi Angelorum manibus deferretur, apparatu ſane digniſſimo, quo cæleſtis ut ita dicam ſponſæ deducerentur exequiæ, ſupremique diei celebritas perficeretur.

QUam multa hic mihi de illius virtutibus differenti dicenda eſſent? Tanta ſunt, quæ integram ſibi laudationem vel ſingula vendicarent. Incredibile Divinæ gloriæ promovendæ ſtudium, quo tota mentis acie, totoque animi impetu ferebatur. Mira illa, quibus alebatur, deſideria, veræ Religionis cultum & ſanctitatem non in Ægyptum modo ſed orbem univerſum tum Pietatis ſuæ exemplo, tum ſapientiæ gra-

gravitate invehendi, innumera denique ſanctitatis & charitatis de natura ipſa magnifice triumphantis teſtimonia. Verum, ſi deeſſent omnia, dignam his triumphis CATHARINAM, cauſæ, quam defendit, juſtitia effecit.

REcordamini AA., quo tum res in Oriente, quo Alexandriæ præcipue Catholica loco eſſet. Maximini Cæſaris impii crudelitas expedita in gregem omnem Chriſtianum ferali denuntiatione, quidquid rei Sacræ nomen dederat, rapiebat ad ad pænas & ſupplicia; conterrita his comminationibus Ægyptus, aut ſacrilega potius ſophorum impietate confirmata retinuit orcum, cælum excuſſit, & quem DEO uni debebat cultum, dementiæ ſuæ ſimulacris deferebat. Inde diſſoluta vivendi licentia, proculcata legum Authoritas, divina omnia & humana nefarie protrita.

INfelicem te Africa! infelicem te Alexandria! quis excitata tot a ſtyge flagitia virtute, & æquiſſima nominis Chriſtiani defenſione retundet? quis inquinatos tot erroribus

populos ab amata pernitie, & licentia revocabit? quis denique ſanctiſſimæ Religionis ſigna tot inter armatæ dolo & fraudibus improbitatis molimina explicare audebit? Sed o divinum conſilium! vidit iſta CATHARINA, animoque perſenſit; Tum divini cultus ratione quamprimum commota, primum æquitatis cauſam ſuſcepit intrepida, tum fidei & ſapientiæ ſuæ armis congreſſa pugnavit, vicit, triumphavit.

IMmortales tibi gratias victrix CATHARINA Alexandria, quin imo Africa rependit univerſa, quod disjecta tot inter pericula errorum caligine æquiſſimam Religionis cauſam ſola, tam fortiter, tam aperte ſuſceperis, quod virtutibus tuis, & firmiſſima in Orthodoxa fide conſtantia, ut vincere prope debueris, jam ante perfeceris. Jacet tua proſtrata ſapientia impietas, tuo rigata ſanguine Alexandriæ exurgit Eccleſia; perge Magna Philoſophorum Magiſtra, quod dimicando jam non potes, orando in nobis efficere, ut in Tuæ ſapientiæ velut unici exempli normam intuentes avitæ Religionis digni-

dignitatem doctrina, eloquentia, ſtudio denique omni (quod in nobis eſt) ſuſtineamus.

TU interim INCLYTA FACULTAS PHILOSOPHICA, cui CATHARINA Duce ac Magiſtra litterariam in arenam cum adverſariis egredi ſæpe eſt conceſſum, Heroam Virginem pugnando ſequere, & dum illa in Alexandriæ luce tanta fortitudine contendere eſt viſa, Tu quoque, quando opus eſt, ingenii magnitudine vindica majorum tuorum egregia documenta, inimicorum conatus repelle, calumniatorum inſanas ſubſtructiones everte. Superabis CATHARINÆ præſidio, in qua præcipue invictam ſe hodie exhibuit ſapientia, & inſuperabilem

D I X I.

MISC
15
G743845
18 AG 17